DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES SALMON,

Jamaicensis.

"Unicuique nimirum regioni suum inest vitium."
GREGORIUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCXIX.

VIRO SPECTATISSIMO

ET

AMICO SUO,

PETRO SMALL KEIR,

DE KINMONTH,

ARMIGERO;

HOCCE OPUSCULUM,

OB AMICITIAM EJUS, ET BENEFICIA PERMULTA

HAUD OBLIVISCENDA;

ANIMI NON INGRATI QUASI SIGNUM,

OBSERVANTIA SUMMA

DAT DEDICATQUE

JOHANNES SALMON.

GULIELMO NEWBIGGING,

ARMIGERO,

COLL. REG. CHIR. EDIN. SOC.

ET

NOSOCOMII NOSTRI

CHIRURGO;

VIRO DIGNISSIMO,

IN OMNES AD REM MEDICAM PERTINENTES

PERITISSIMO;

ET

CUJUS DISCIPLINA

MIHI HAUD PARUM PROFUIT;

HASCE PAGINAS,

SICUT JUDICI PRAETIUM EARUM (SI ULLUM) AESTIMARE

BENE VALENTI,

ET PROUT AMICITIAE ANIMIQUE GRATI SIGNUM

LUBENTISSIME

CONSECRO.

AVUNCULO SUO CARISSIMO,

CAROLO FARQUHARSON, M. D.

HOMINI HUMANISSIMO,

VIROQUE INTEGRO SCELERISQUE PURO,

VIRTUTIBUS CUNCTIS ORNATO;

PROPTER

PLURIMA BENEFICIA, VERAEQUE AMICITIAE

TESTIMONIA,

IN EUM SAEPE COLLATA,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

AD PATREM.

Care pater, gratias filii, accipe, nunquam immemoris amicitiae tuae, nunquam bonitatis, et nunquam beneficiorum quae conferebas.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

PROOEMIUM.

Studiis, sive a nobismetipsis sive ab aliis selectis, dum incumbimus, attentio longe praecipua iis tribuitur rebus, quae ad futuram nostram vitae conditionem praesertim referre apparent.

Hinc incolae Indiae Occidentalis, medicinae semet accingenti, ii morbi, quorum vires regionem patriam miserrimis stragibus devastant, quique frequentiores et fataliores existunt, attentionem summam observationemque postulare videntur. Hostes eos esse

credit quibuscum in futurum certandum erit medicinam ibi facienti; viasque modosque petit, quae saevitiae eorum modum ponere valeant.

Inter multos regionum calidarum morbos, excepta febre, Dysenteria mihi longe maximi esse momenti apparet; cum frequentius occurrat, dolentior in cursu, atque sequelis perniciosior sit, quam aliud quodcunque malum has terras insalubres infestans.

Connexio quaedam imaginaria, cum febre typhode existere credita, curationem hujus mali mire inertem diu reddidit, et tandem cum errore pathologica de Dysenteria ortu conjunctae inertiae etiam incongruitatem adjecit. De his autem hactenus.

DEFINITIO.

" Pyrexia contagiosa; dejectiones fre-
" quentes, mucosae, vel sanguinolentae, re-
" tentis plerumque faecibus alvinis; tormi-
" na; tenesmus."

Cullenus hunc morbum in classe Pyrexiarum, ordine Profluviorum collocavit. Huic parum objiciendum video, cum febris aliqua plerumque Dysenteriae sit consors: atque aucta muci, excretionis scilicet naturaliter non cruentae, copia, in hoc morbo sine dubio occurrit. Si quidem definitionem adhuc utiliorem esse velimus, notamque morbi immutabilem praestare; haec certe pluribus in partibus claudicare videtur. Docet quod, et Cullenus ipse credidit, Dysenteriam nunquam sine febre existere, atque hanc etiam febrem esse contagiosam, opiniones quas ob-

servatio et experientia permagna nuper penitus confutarunt. Nec vere faeces alvinae retineri dicuntur; cum in plurimis pateat incisionibus nulla adipe scybala, nec stercora magis in hoc morbo accumulari quam in alienissimis aut ipsa valetudine.

MORBI HISTORIA.

In India Occidentali Dysenteria ad anni diversissimas tempestates apparet; adque anni diversas tempestates pro ordine hominum quos adoritur. Incolae enim Orbis Novi sensu medico in tres classes dividi possunt: 1. Servos et Operarios. 2. Advenas et Militares. 3. Indigenas. Harum singulae morbo fiunt obnoxiores prout occupatio sua, tempestas, aliave causa excitans objecerit causis. Sic in regione humida, morbus plus minusve apud omnes ordines epidemicus grassatur; magis tamen inter servos et ope-

rarios, qui ab immensis illis aquae praecipitationibus inter tropicos tum cadentibus, minus protecti, gravissime afficiuntur. Milites contra et advenae, quorum vitae genus loca insularum editiora habitare sinit, multum etiam aliis anni tempestatibus vexantur. Mos enim has sedes celsiores occupandi quotannis increbrescens, ratio certe optima existit miasmata febrilia evitandi, quae raro nisi campis generantur, nec minus prodest, corpus adhuc Europaeum paulatim semet malis subeundis indurare, genio saltem regionis semet accommodare, permittendo; opus quod haud inscite insulani nostri "Seasoning" vernacule appellarunt. His autem sedibus altioribus imbres fere perpetui sunt, qui in uno quasi aequore e coelo descendentes, eos quos necessitas tum foras esse coëgerit, probe madefaciunt. Omnibus ita humoris malis objiciuntur, quo tempore campi infra pedes longa siccitate et ardoribus arescunt.

Quinetiam siccissimae sedes modo celsae sint Dysenteriam inducunt; quum ventis violentis objectae, rapidam evaporationem e corporis superficie inducunt; et subitae caloris frigorisque alternationes in idem agunt priusquam transitui accommodandi semet tempus concedatur.

Indigenae vel coloni longo usu assuefacti minus equidem quam alii ab his causis infestantur, sed relaxatio zonae torridae perpetua comes insignem ad morbum proclivitatem gignit; quae cum victu genere multo quam decet lautiore praediorumque, prope paludes stagnaque habitatione nihil miri facit si haec insularum divisio saepissime et gravissime morbo plectatur.

Quando morbus semel se ostendit, a Dysenteria Orbis Vetustioris parum discrepat, hoc solo discrimine ut febris ibi comitans frequentius remittat.

Signa fere ut sequitur adsunt.

Dysenteriae plerumque taedium, languor, motus aversatio, et demum facultatum inertia et depressio quae omnibus pyrexiis, praecedunt. Calores horroribus alternantes, totius cutis sed praesertim palmarum ariditas molesta, dum pedes interim, taliquae mire frigent, observantur. Urina parca, colore solito atriore, sed alvus adhuc naturalis satis, licet nonnullis torpeat, paucioribus fluat. Lingua naturalis; cibi appetitus, quantum videri potest, parum mutatus. Nausea nihilominus satis frequens est, atque aeger de amaro viscido oris saporem conqueritur. Tandem haec conditio praenuncia, aliis et gravioribus malis locum cedit. Molestia in intestinis percipitur, cum flatu, et dejiciendi desiderio; nisus, deorsum ferens in colo extremo, tenesmus, dejectiones morbidae, mucosae, tandem morbi indolem declarant. Vires jam manifeste laesae fuerunt; monitus ad de-

jiciendum frequentiores; sed conatus plerumque irriti. Urgentiores nunc tenesmus et tormina quae vesicae sede saepe percipiuntur; abdomen tactui tumet, pressu dolet. Sitis supervenit, lingua arida et praeter naturam rubente, cute, ut prius dicta, perstante.

Postquam haec signa diu continuaverunt, cor et arteriae generalis morbi participes esse incipiunt, atque pulsus, quasi filum tensus, celer, enteritidis omnino similis, percipiatur. Stercus quo parcius dejectum, eo violentior plerumque erit impetus; atque crebro faecum portiones in mucis qui semper partem praecipuam constituunt involvi apparent. Alias stercora liquida sunt, cumque striis sanguinis interspersis spumantia. Foetor, aut levis est, aut non omnino percipiendus in talibus; sed in aliis profluvium abundat, albidi coloris est, et membranis aut caruncululis tenuibus mixtum, pessime olet.

Rarioribus quibusdam exemplis, sanguis nigrescens, nec alia quavis materia commixtus fertur; saepissime pus sanguine natans quod facile pro dejectionibus mere sanguineis caperes. Quando faeces naturales excernuntur, crebro sed non semper, scybalorum figuram ostendunt, atque hujusmodi evacuationes malorum omnium remissiones plerumque insequuntur.

Morbo protractiore, appetitus vehementer minuitur, atque etiam ubi parum affectus, cibus tam imperfecte digeritur, ut saepe, quantum oculis apparet, per anum immutatus transeat, etiam diu postquam cibus devoratus fuit. Corpus extenuatur, atque facies collabitur; omnes vitae vires ad infimum usque deprimuntur.

Dysenteria morbus est qui duo in stadia commode dividitur. Acutum nimirum et Chronicum. Haec divisio manifestior est,

quia frequentior, in Dysenteria Tropicarum quam Europae; ibi quidem multo saepius mortis causa fieri solet. Hanc ob causam jam supra stadii acuti historiam tradidi; antequam vetustum aggrederer, quod proprie eo tempore morbi incipit, ubi febris, abdominisque dolor terminantur, dejectiones tamen praeter naturam, tenesmo et torminibus fortasse adhuc perstantibus.

In hoc stadio naturaliter terminat acutus; nisi tempestive, idoneis remediis, aut mutatione quadam in aegri conditione, cohibeatur. Hinc frequentiam ejus in Insulis nostris Occidentalibus haud difficulter explicemus, cum morbus ibi multo minus facile in primo stadio consistere cogitur, aut etiam praecavetur propter causas nuper in Historia dictas. Nihil est nisi Lienteria auctorum; cibus enim nunquam digeritur, sed in statu parum mutato descendens, paulatim, quasi inanitione, hominem labefactat. Ille autem in-

tervallis nonnullis solatii fruitur, totis etiam diebus; appetitus redit, atque mens reviviscit; sed nullas recuperat vires, dejectio perstat, dolore eam nunc praegrediente, tenesmo subsequente; corpus extenuatur, abdomen subsidet, figuram concavam assumens. Integumenta circa sacrum, alia loca quibus corpus restat, pressioni tandem perpetuae cedunt; appetitus perit, et vires prostratae extinguuntur. Tempus haud longum est donec hoc perficiatur; plerumque inter paucas hebdomadas; sed saepe miseram trahens vitam per aliquot menses, donec aegrotans infelix foedo et intolerabili malo emaciatus, calamitates morte optanda gratus permutat.

Talis est Dysenteriae in Insulis Occidentalibus descriptio: sed morbi sunt nonnulli huic regioni fere peculiares, quorum figuram simulare incipiens valde affectat. Hi sunt "Dry belly-ache," morbus Colicae pictonum

simillimus, qui tamen his saepe partibus apparet, ubi plumbum nullum suspicari possumus; Cholera morbus; et denique Diarrhoea communis.

Tempus acuto stadio occupatum valde incertum. Nonnunquam in mortem desinet, etiam ante septimum diem; raro ultra decimum quartum; nunquam credo ultra tres hebdomadas in India Occidentali.

DISSECTIO.

Anatomia hujus morbi morbida abdomen praecipue respicit; ideoque mutationes maxime notabiles, in apparatu tantum ad cibi concoctionem instructo, detegendae sunt. Nonnunquam autem hepar, lienis, pancreas, aut ventriculus afficiuntur; hoc tamen raro fit, atque potius universae operationi infestae regionis calidae tribui debet, quam ulli arcano

aut sympathetico connexui cum hoc morbo canalis alimentarii.

In pessimis Dysenteriis, intestinum laxius per totam longitudinem inflammari videtur; aliquando etiam gangraena reperitur, praesertim in recto, partibusque coli vicinis: id est, iis in partibus quae semper supra alias afficiuntur. A capite caeco coli, inflammationis indicia semet subinde extendunt per intestina minora, paulatim adversus ventriculum decrescentia; atque notandum est quod Dissectiones Chirurgi peritissimi Jacobi Obierne ostendere videantur, ibi loci inflammationem primitus incipere, nec nisi morbi progressu deorsum per intestina ampliora propagari.

Intestina ampliora vehementer contracta reperiuntur atque incrassata, structuram, incisa, densam atque spongiosam exhibentia. Faciem externam aterrimo colore sunt in-

testina, qui potius a structurae mutatione peculiari oboriri videtur quam congestione venosa. Facies autem interna, tinctura adhuc atriore apparet, cum materia foetida tenace, adhaerente; qua remota immensa vis tuberculorum minorum, pustularum, ulcerumque, modo destinctarum, modo confluentium, in conspectum veniunt.

Hae fabricae mutationes in recto semper notatissimae sunt, adeo ut lumen ejus, nonnullis in exemplis fere obliteratum videatur.

Talis stadii acuti est conditio: in longa Dysenteria omnia inflammationis indicia evanuerunt, et mutata intestini conditio solum restat progressus ejus vestigium.

CAUSAE.

1. *Proximae.*—Post incisiones supra descriptas, vix necessarium erit repetere, causam hujus morbi proximam inflammationem esse, et contractionem partis cujusdam canalis alimentorum, atque plerumque portionis coli quae inferior est. "Videtur," inquit Gregorius DCLXVIII. "oriri a constricta parte "intestinorum, et quodammodo inflammata, "inferiore."

2. *Remotae.*—Sub historiae initio tempestatem pluviosam, atque loca humilia, humida, paludosa, causas esse hujus morbi creberrimas et proprias Dysenteriae apud Indos Occidentales, diximus: loca vero editiora et montana saepissimae causam Dysenteriae fieri, licet ob id ipsum occupata, ut illi morbum vitarent.

Secundo quem dixi populi ordini, advenis nempe, morbus saepissime a corpore incaute solis radiis violentis, aut exercitationi vehementi objecto: necnon immodico fructuum esu, aliusve victus cui parum assueverint, inducitur.

Sed in plurimis exemplis, Dysenteria Indiae Occidentalis videtur ab eadem ipsissima causa, qualiscunque demum ea sit, provenire ac perniciosa harum regionum febris remittens endemica, nec raro cum hac alternari: quinimmo in locis paludosis, ubi febris remittens perpetuo saevit, ibi quoque Dysenteria perpetua consors invenitur. Hinc frequenter in eodem loco, atque aliquando in eodem homine simul adsunt, ut supra dictum est. Saepe quoque febri Dysenteria supervenit, quod nunquam non timendum est; cum debilitatio de febre praegressa hominem praedae det facili Dysenteriae supervenienti.

Contagio ut causa Dysenteriae multis descripta est, et fortasse, cum Dysenteria typho castrorum exercituumve Europoeorum conjungitur, hanc potestatem habere videatur; pauci tamen hodie, ni fallor, qui medicinam diu inter tropicos fecerunt, plane confirmarent se unquam hanc morbi formam in India Occidentali invenisse.

CURATIO.

Nullus fortasse existit morbus cui plura quam Dysenteriae remedia adscripta sunt; nec ullus cui consilia medendi magis sinistre accommodata sunt, praesertim in studiis magis provectis, donec incisio cadaverum hodierna, extra dubium posuisset morbi originem, curationemque simul simplicem et efficacem reddidisset.

Consilia medendi naturaliter ad tria re-

diguntur. Inflammationem domare: Effectus ejus, hoc est intestini structuram morbosam, tollere: Vires demum corporis ruentes, sub morbo suffulcire.

1. Inflammatio domanda est, serie illa medicinali vulgo antiphlogistica dicta. Remedia sub hoc nomine venientia haec sunt: Venaesectio, vel hirudines abdomini vel ano admotae: cucurbitula cum vel sine ferro, purgantia, enemata, emetica, sudorifica, balneum tepidum, semicupium, pediluvium, vestibus.

2. Consilium secundum quod rectius ad tempus chronicum curandum attinet, praecipue expletur hydrargyri usu; balneum enim tepidum, pressura, vestitus calidus, aquae medicinales, caeli mutatio, aliaque id genus remedia, magis aegro placere, quam prodesse apparent; atque dolendum est, hydrargyrum ipsum, ex his longe optimum, parvo esse usui,

quum semel stadium secundum plene ac distincte formatum fuerit.

3. Consilium tertium delicatissimum est; non solum quia ventriculus saepe mire irritabilis existens ingesta omnigena rejiciat; sed propter statum concoctionis valde imperfectum, qui etiam in levissima morbi forma supervenire consuevit. Ubi miser ab inanitione prosterni videtur, sola fere auxilia invenientur in cibi selectione idonea: qualis et facillime concoquetur, et maximam nutrimenti copiam in minimo volumine habebit; proprietates in seminibus radicibusque farinaceis saepissime conjunctae. Si vero hoc efficere nequivimus, enemata nutrientia necessario adhibenda sunt, vel balnea quae idem praestare aptissima sunt.

Postquam sic morbi rationem et tela, quibus hostis siquo modo possit, superandus est, generaliter et quasi summatim tetigerimus;

ostendi porro oportet quomodo haec gerenda sunt, ne certamine devicti recedamus.

I. CONSILIUM.

Venaesectio.—In levioribus exemplis, ubi nullus abdominis dolor vel tormina, atque stercora leni conamine excluduntur, hoc nobilissimum remedium supervacuum fieri potest; sed in longe plurimis exemplis, reperietur praecipuum et solum praesidium. Morbus quidem enteritidis species est, atque domandus est remediis huic idoneis. Plerumque tamen sanguinis missionibus repetitis minime opus est, quum una proba evacuatio, quae pulsum minuit doloremque abdominis removet, fere sufficiat. Si vero aliter res se haberent, haec necessario repetenda erit.

Nuper per continentem increbuit metho-

dus admovendi hirudines ano, in canalis alimentarii affectibus, quae ratio etiam ad Dysenteriam extensa fuit, nec, ut apparet, inutiliter, ni exulcerata crudaque partium circa anum conditio usum prohibere videretur.

Abdomini certe hirudines admotae sunt maximo haud sine commodo: atque si animalculi hujus peculiaris in pulsum humanum effectus ab Armstrong nuper descriptus, aliquid veri certive in se habeat, commodissimum hercle auxilium in plurimis nequeunt non praestare. Vires enim privatim sedantes, nec omnino per sanguinem emissum explicandas hirudinibus attribuit.

Cucurbitula eidem parti sine ferro applicata, nonnullis vehementer placuit; iners autem et molestum simul remedium videtur.

Alvi Purgatio.—Propter easdem causas ac in Enteritide, purgantia medicamenta Dy-

senteriae prosunt; atque hanc peculiarem, ut ex cavitate tubi inflammati scybala quae diximus ista expellant, quae quidem perpetua existunt fons et origo irritationis, quamdiu non removeantur. Purgantium horum oleum ricini optimum est, atque, ut nonnulli conjecerunt adeo abunde iis in regionibus provisum fuit, naturae consilio et bonitate, quibus Dysenteria in tantum saevitura erat, ut remedium et antidoton violentiae ejus praeparatum.

Huic proxime recenseantur sales medii, rheum palmatum; jalapa aut per se, aut submuriate hydrargyri composita; supertartras potassae; et murias hydrargyri fere in eodem quo hic ordine adnumerantur. Neque hinc credendum esse vellem, muriatem hydrargyri minoris esse momenti; de meritis ejus brevi agere nos oportebit, sed hic actionem ejus purgativam solummodo consideramus.

Enemata nonnullis mire laudata sunt; quorum optima aestimantur quae oleum ricini, oleum oleae Europeae, vel amylum habent: opium his utilissime adjicitur, ubi dolor et tenesmus intolerabilis est.

In libro De Morbis utriusque Indiae, auctore T. C. Clarke, singulare hujusmodi remedium usui commendatum ex propria auctoris experientia. Fit ex radicis contusae ipecacuanhae drachmis tribus, ex duabus aquae libris ad unam decoctis, perque anum hoc infunditur. Ejus actionem omnino specificam esse credit, aliorum autem enematum esse tantum anodynam.

Sudorifica.—Diu haec multumque in Dysenteria usurpata sunt; atque vehementer a practico illustrissimo Johanne Pringle commendata fuerunt. Si hoc solum in modo, quod admodum ambiguum est, ipecacuanha prodest, haec fortasse utilia quoque existant;

sed in calidis tropicorum plagis, haec excretio jam ex ardoribus ad summum venisse apparet, neque multo cum commodo in hoc morbo augetur. Diaphoretica ideo in desuetudinem cecidisse apparent.

Balneum Calidum, abdominis fotus, semicupium, remedia sunt quae cutem, partesque cum cute consentientes, relaxare tendunt. Adhibendi ratio simplex est, ne aqua minus calens admoveatur; nam melius respondet tepida, quam nimio vulcano fervens lympha. Celsus semicupio multum usus est, cui addidit etiam supposita quaedam calida, praesertim ovis columbinis, calefactis et in ano insertis; atque nuper doctissimus Gulielmus Campbell se multo cum commodo etiam semicupio usum narrat.

Emetica.—Haec variis in modis prosunt. Ventriculum enim rebus hoc in morbo semper male concoctis exonerant. Hinc apud

colonos Indicos nostros, ubi morbus saepe originem sumpsit a fructibus immaturis, nec etiam sanissimo concoquendis in ventriculum ingestis, utilissimum saepe existere vomitum oportet. Munera quoque cutis jecinorisque vehementer promovent. Ipecacuanha optimum est in hunc usum vomitorium: quanquam nonnulli experientissimi viri infusum anthemidis nobilis usui commendarunt.

II. CONSILIUM.

Hydrargyrum.—Quandocunque tempus Dysenteriae actuosius febre sua liberari videtur, nec tormina, tenesmus, dejectionesque morbosae similiter diminutae fuerunt, tunc jure timendum est, ne morbus in formam vetustam transiturus sit. Hoc enim semper quam maxime cavendum et evitandum; atque solum fere auxilium contra hanc conditionem hydrargyrum esse jam diximus. Qui

omnem hujus casus aleam evitare vellent, submuriatem hydrargyri, vel mature in tempore acuto praecipiunt; atque hoc fere ab omnibus qui in India Orientali medicinam faciunt institui solet. Plurimis etiam in India Occidentali idem fieri solet; sed usus fortasse generalis est submuriatem hydrargyri exhibere incipere tempore supra descripto. Amplissimam copiam, scrupulum etiam drachmamve dimidiam exhibere solent: nunc enim bene constat ingentes tales portiones, et ventriculo levius insidere, minusque pronos existere per intestina affluere quam copia plerumque exhibita. Effectus quoque hydrargyri proprios celerius in corpus inducit, quae res solamen insigne raro non affert.

Doctissimus meus amicus Archibaldus Robertson, vir cujus rei medicinalis peritiam omnes qui noverunt jure mirantur, cui vero, post Deum Omnipotentem, cognati veneran-

di vitam debeo, de hoc remedio scribens, haec verba habet. " Submurias hydrargyri " vix nimis laudari potest; simul ac virtutes " suas speciales in corpus effecerit, profluvi- " umque salivae excitaverit, indicia morbi " omnia, saepe noctis unius spatio, sua spon- " te abibunt, et faeces colorem flavum ma- " gis magisque naturalem recuperabunt." *

Increbuit nuper opinio, Dysenteriam saepe cum hepatis connecti morbis: atque scriptor quidam de morborum causis in regionibus tropicis haud incallidus commentorum fictor, huic partem haud ignobilem Theoriae suae de Morbis Trans Atlanticis attribuit; sed nondum corporum incisiones quae hanc opinionem confirmarent audivimus; neque legitime colligi posse videretur ex conjectura tam tenui probabilitate sufful-

* Dissertatio Inauguralis 1817, De Dysenteria.

ta, effectus calomelanos beneficos ab hoc nexu suppositio exoriri.

Balneum Calidum atque vestitus callidus, praesertim fascia lanea circa abdomen in hoc stadio deplorando utilissima fiunt; atque pro meritis nuper ita optimis auctoribus aestimata sunt; sed remedium quod calomelani proximum venire debet, migratio est ad sedes salubriores, ut Insulas Bermudas vel Brittanniam.

Hoc enim in modo plurima Dysenteriae chronicae exempla, omnino deplorata, redacta sunt ad valetudinem perfectissimam: vitaeque commoda fruenda, ad gaudia demum et dulcedines societatis humanae, quibus nulla regio, utcunque gravis aut insalubris, vitaeve longinquitati infesta, omnino orbatur.

FINIS.